

1575

Italorum  
 Principum  
 de titulis &  
 prægressio-  
 nibus con-  
 tentiones.

remibus studium negligenter admodum impendi. Eo nuntio christianis ditionibus metu solutis, alio Principum consilia averti, Gregorii Pontificis ardor frigescere; atque (ut plerumque accidit, ex securitate otium, ex otio mollitis animis ambitionem oriri) novarum societatum egregia consilia, atque novos motus Amurathem regni initio trahentem, opprimendi inanis spes: in fastum, atque ambitus insuetum genus evaserere; dum Itali Duces, insignium cognominum specie capti, quæ summo studio ac precibus consequi a majoribus Principibus nituntur, atque ad prægressionis dissensiones æquales antecedendi studio delabuntur, quæ adeo excrevere, ut turbas quoque inter Reges exciverint. Earum exordium a Magni Ducis titulo ductum, quo a Pio V. Pontifice Maximo Cosmus Heturiæ Dux decoratus, insuetisque honoribus Romæ exceptus, in Regum aula corona ornatus fuerat. Cosmi vero dignitatis incrementum reliqui Italiae Duces æquo animo pati nequierant; immo, unoquoque sibi potiorem locum ac dignitatem varias ob causas vindicante, Sabaudus antiquitate, nobilitate, imperio, quod in Italiae ac Galliae finibus situm est, minime sibi cedendum Cosmo rebatur; Ferrarensis quoque ob majorum suorum splendorem, qui præclaras in Italia dignitates consequuti, multis sæculis imperaverant, ei, qui super Florentiæ dominatum Ducis titulo susceperebat, primas deferre indignum existimabat. Nec minus Franciscus Gonzaga, Mantuæ Dux, de primatu cum Alphonso decertabat: ut nova atque insueta animorum pestis Ducum Italorum animos corripiuisse videretur; denuo inter Maximilianum quoque, ac Gregorium, compressis Veneto bello dissidiis, assurgentibus, cum ille, uti Cæsarea auctoritate fulgens, titulos humanasque dignitates, cui vellet, sibi impertiri datum, ad Pontifices ecclesiasticos tantum gradus spectare, accerrime contendere.

Hoc veluti œstro percitæ mentes varia moliri, agitare; Gregorius quin etiam ordinem, quo Principum legati ei in basilica adiustere consueverant, immutare est adortus. Cum enim ad urbem invisendam superioris anni exitu Menapiorum Princeps accessisset, dum portæ, quam *sanctam* vocitant, disclusione jubilei annum Gregorius auspicaretur, insigni illum honoris argumento afficere statuens, legatis Regum anteponere,